R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.

Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

39

40

PET. PAVLI THOMAELLI VTINENSIS ECLOGÆ DVÆ.

Quarum altera inscribitur

MEDVACVS ὁ θρηνῶν

altera

MEDVACVS ὁ ηροτῶν

Ad Ill.um & R.um D.D.

MARCVM CORNELIVM

Episcopum Patauinum. &c.

PATAVII.

Apud Laurentium Pasquatum

Ad Ill.^{mam} & Ampl.^{mam}

CORNELIORVM FAMILIAM.

O quæ inter Venetas fulges, CORNELIA, gentes,
Non secus atq; inter Cynthius astra solet:
Ampla Ducum soboles, soboles amplissima Regum,
Præsidium, & veræ Relligionis honos.
Quid doleas vltrà? nũ quòd tibi tẽpore in omni
Tot, tantosq́; viros inuida Mors rapiat?
Scilicet eripiat sibi Castoras inuida; tales
Polluces contrà tu modò sufficias.

RPJCB

Ill.^{mo}

Ill.mo ac R.mo D.D.

MARCO CORNELIO EPISCOPO PATAVINO.

Pet. Paulus Thomaellus Vtinensis.

S. P. D.

SIngulari quodam naturæ instituto comparatum esse videtur, PRÆSVL Illustissime, ut quorum magis uel uirtus, vel dignitas, uel nobilitas excellere inter ceteros existimetur, eorũ potissimum laudibus seruire consueuerint illi, qui sese totos Poeticæ facultatis studio addixerunt. Eadẽ hac ipse naturæ ui adductus, uel impulsus potius, scripsi superioribus proximis diebus Carmina non nulla de amplissima hac, ad quam tanto bonorum omnium gaudio euectus es, Dignitate. Nam si ea in re uirtus spectanda fuit, quid te præstantius? si dignitas, quid excellentius? Si nobilitas deniq;, quid te illustrius fieri, excogitariuè potest? Ea ipsa, cùm uidissent apud me Patroni aliqui mei, ornatissimi planè viri, tuæq; Amplitudinis, supra quàm dici queat, obseruantissimi, contẽ-

derunt à me , in omnium oculos , atq; manus ex ire ut permitterem . Multa dicta , prædicataq́; ſunt ab eis de eximia tua erga omnes benignitate , facilitateq́; propemodum incredibili . Additum eſt illud , quod me maximè incitauit , tibi hanc ſcribendi rationem probatum iri ; cùm Poeticæ facultatis ſtudio mirificè capiaris , eiuſq́; fueris ſemper ſtudioſos peculiari quodam beneuolẽtiæ genere complexus . Tanto igitur eorum teſtimonio confirmatus , non committendum eſſe putaui, ut hæc, qualiacunq; eſſent, laterent diutius . Tu uerò, PRÆSVL Illuſtrisſime , quidquid hoc eſt(nihil enim magnum à me, nihil tuarum laudum magnitudine dignum proficiſci poſſe certo ſcio) ſuſcipe ea, qua ſoles omnia, fronte hilari, & ſerena. Totum illud ſit humanitatis, totum benignitatis tuę . Nihil in eo mihi ipſe arrogo, nihil tribuo. Satis ſit, me cogitationes meas ad maxima, qualis eſt tuarum laudum commemoratio, contuliſſe. Satis ſit, hoc qualicũq; officio, ac munere ſingulare quoddam meum erga te , totamq́; Illuſtrisſimam Familiã tuam ſtudium, & obſeruantiam declaraſſe. Quam ut ipſe, quæ tua eſt humanitas, æqui boniq́; conſulas, etiam atq; etiam peto. Vale diu , ac felix.

PATAVII. Menſe Martio. M. D. XCV.

MEDVACVS ὁ θρηνῶν

IN OBITVM

Ill.mi ac R.mi D. D. ALOYSII CORNELII Epiſcopi Patauini.

ECL. I.

VOS ò, Meduaci colitis quæ fluminis vndas,
Euganeæ Nymphæ, Patauî quà Mœnia ſurgunt,
Mœnia quæ triplici complectitur ordine murus.
Dicite, quas lacrymas, et quæ ſuſpiria ueſter
Fuderit, ac mœſto quidnàm ſit carmine queſtus
Meduacus; chari dum triſtia funera deflet
PRAESVLIS, *atq; Deos, atq; aſtra immitia demẽs*
Appellat, querulis complens latè æquora dictis.
Vidi, inquit, certè multorum funera vidi,
Quos nobis Veneta Paſtor delegit ab Vrbe

Sanctior

Sanctior, & dolui; tantùm sed nullius vnquam
Ob funus dolui, quantùm te maxime propter
CORNELI, nostri decus, & spes vnica nostri.
Nam neq; te quisquam nobis præstãtior unquã
Præfuit, aut mage quo sese iactaret alumno
Relligio, Superumq́; colens Astræa recessus:
Quiue pecus melius, melius curarit & agnos,
Quiue magis pecori fuerit dilectus & agnis.
Non sat erat diræ tot adhuc rapuisse, Sorores,
Hac de Gente viros, qua non fœcundior vlla;
Hunc vnà florenti ni raperetis in æuo,
Ah dolor, hunc ipsum, quẽ iam maiora manebãt,
Et sua quem virtus, totum diffusa per Orbem,
Ad titulos alios, aliosq́; uocabat honores?
Impia fata nimis, quæ nunquam parcitis vlli.
Inuida quin etiam, si quid pulchriq́; boniq́;
Orbe viget, tacito crescentia rumpitis ictu
Stamina, & humanas spes statim fallitis oẽs.
Qđ dec⁹ Ausonidũ, ac Vrbis qui splẽdor et Orbis,
Gaudia quæ nostra, et quæ tunc secla fuissent;
Olli si vitæ contingat longior vsus,
Specteturq́; caput triplici diademate cinctus,
Inter purpureo fulgentes murice Patres
Iura dare, & terris pariter mirandus, et alto.
Flẽt igitur meritò pecudes, pecudumq́; magistri,

Squalet

ὁ θρηνῶν

Squalet ager meritò, ſyluæ, deſertaq́; prata;
Quæq́; ille interea curauit Ouilia ſqualent.
Grex ouium infelix ſqualet, uixq́; oſſibus hæret,
Nequidquam ſolitum Paſtorem quærit, ad ãnes
Qui ſolitos ducat, ſolitiq́; ad graminis herbas.
Naiades idem ſualor habet, Dryadesq́; puellas,
Panaq́; cum Satyris, et monticolis Syluanis.
Tum verò Nymphæ, noſtri quæ fluminis huius
Ima colunt, latè ripas, amnemq́; querelis
Aſsiduis implent; miſeræ nam ſemper acerbũ
Mente agitant vulnus, nec conſolabile fatum.
Pulchra ſed ante oẽs queritur Galatea, querẽdi
Cùm causã ante oẽs habeat. Quis nãq; Galerũ,
Quis veſtẽ, huic tyrio quam iã fucauerat oſtro,
Sumat, et unà ouium, ſolis quæ montibus errãt,
Accipiat curam tanti poſt fata Magiſtri?
Infelix pecus ergo, atq; infelicia ſemper
Paſcua, & hoc ipſum deſertum ſemper Ouile,
Noſq́; ſimul miſeri, nec non & ſemper eodem
Torquẽdi luctu; niſi iã CORNELIA mittat
Progenies alium, qui damna reſarciat ipſa,
Errantem cogatq́; gregem, præſepia luſtret
Singula, cumq́; ipſis pecuaria cuncta miniſtris
Odent iſta Dij nobis ſolatia ſaltem,
Si qua Diis pietas, poſt tot ſuſpiria, totq́;

Poſt

Poſt lacrymas,gemit'q́ graues,magnoſq́ dolores.
Vix ea fatus erat,cùm ſunt (mirabile dictu)
Auditaq́ feræ mœſtas ad Sydera uoces
Iactaſſe,& ſtabulis gemuiſſe armenta ſub ipſis,
Ipſeq́ Meduaci lacrymis fons creſcere viſus.

FINIS Ecl. I.

MEDVACVS ὁ κροτῶν

IN EPISCOPATVM Ill.^{mi} ac R.^{mi} D. D. MARCI CORNELII EPISCOPI PATAVINI.

ECL. II.

HÆc mihi prǽterea Euganeǽ concedite Nymphǽ
Carmina, quǽ vobis idẽ prǽsentibus ipse
Meduacus cecinit, dum magnis vndiq; celsǽ
Plausibus Iliaci exultant Antenoris Arces.
Lectus vt est PASTOR, *quem votis omnibus vnũ*

Optarāt; qui Tēpla regat, qui Sacra miniſtret,
Præſideatq; Gregi, penitusq; ſimillimus illis,
Inclyta quos æuo ſoboles CORNELIA *in omni*
Edidit, antiquos inſtauret Gentis honores.
Tuq; adeò, uenerāde Heros, quo Præſule inire
Nunc cæpit decus, ac priſcæ integritatis imago,
Cuius et in ſummis iampridem exercita rebus
Aggreſſa eſt titulos, & auita inſignia virtus:
Si tibi poſt tantas commiſſa ob munia curas,
Poſtq; ſalutantum turbæ conceſſa Clientum
Tēpora, dū ingentis pertractas molis habenas,
Quid ceſſare libet, feſſamue quieſcere mentem;
Huc ades, ad noſtras paulùm ſecede Camœnas,
Et ſine iam meritis recreari laudibus aures.
LAETA *vbi, moerentē Pataui digreſſa per Vrbē,*
Meduaci vitreas deſcendit fama ſub vndas,
Delectum, aſſiduis vrbs quem, cūctisq; petebat
PASTOREM *precibus; ſemperq; optauerat ipſe;*
Extemplo veterem diſcusſit mente dolorem,
Tantaq; ſedato concepit gaudia corde,
Acciri vt ſtatim fluuios, Nymphasq; ſorores,
Quæq; ſuas habitant agreſtia Numina ſedes,
Iuſſerit ad ſeſe. tenuit mora nulla vocatos.
Conueniunt omnes lætum Pæana canentes,
Iactantesq; hilares vacuum ſuper aera voces.

Meduacus placido uenientes excipit ore.
Quos inter, cãtus postquàm, strepitusq́; quierũt
Plaudentum, longoq́; suis ex ordine quisq;
Sedibus accubuit, medius sic incipit ille.
Sat lacrymis, sat adhuc insano indulsimus oẽs
Mœrori, tristiq́; satis suspiria corde
Duximus, et largo maduerunt lumina fletu.
Haud licet incassum; defleri dignus ut ipse
Præsul namq́; fuit, sic nos in funere tanti
Præsulis officium decuit meminisse supremum.
Iam modus est istis adhibendus, talia cùm nec
Amplius à nobis defunctus postulet idem,
Qui nunc Sydereis, Cælestes inter ouantes,
Miratur campis decus omnipotentis Olympi:
Nilq́; minus curent rigidæ lamenta Sorores,
Quã scopulus tumidi properãtes æquoris ũdas.
Nos nouus à lacrymis optata ad gaudia Pastor
Auocat, inuitat virtus, spesq́; allicit ultrò
De tali concepta Viro, præclaraq́; fama.
Vos igitur mecum, si ueræ signa dedistis
Unquam lætitiæ, grati ob solatia nunti,
Plaudite PASTORI, mea Numina, plaudite tãto.
Ecquæ nostra etenĩ, pariter quæ, quãtaq́; nostræ
Gaudia sint vrbis, cùm tot virtutibus auctum
Pastorem sortita siet, quo prima regatur,

Parsq́; sui melior? totius quanta uicissim
Gaudia sint Gregis ob talẽ, tantũq́; Magistrũ?
Gratia quanta simul Superis debetur & ipsis
Munere pro tanto? quando illis irrita vota
Non tulimus; nobis namq́; arrisere benigni.
Plaudite PASTORI, *mea Numina, plaudite tãto.*
Si quã forte luem, si qua agglomerata malorũ
Agmina Tisiphone stygijs emiserit oris,
Inuida Tisiophone recti, scelerumq́; magistra,
Ac solam, extincto Custode, inuaserit Vrbem;
Ille nefas prorsus, prorsus scelus ille piabit
Omne, facesq́; omnes odii, dirasq; ministras
Trãs scythiã imanẽ pellet, trãsq́; ultima Bactra.
Plaudite PASTORI, *mea Numina, plaudite tãto.*
Si quod prӕterea uitium crescentia tabo
Pabula mortifero, dulcesq́; infecerit amnes,
Indeq́; sint exorta grauis contagia morbi,
Quӕ pecus, ac teneros unà cum matribus agnos
Fœdarint. miseris vel si fraudesq́;, dolosq́;
Raptores ouium meditantur ouilibus ullos;
Quando hic ille aderit; totumq́; inuiset Ouile,
Exitium tunc omne leues soluetur in auras.
Plaudite PASTORI, *mea Numina, plaudite tãto.*
Illo nullus enim ad magnum spectantia nouit
Iura Sacerdotem melius, meliusq́; Sacrorum

Prӕcipuos

Præcipuos usus, nec non Mysteria prima.
Quoue modo pecudes, qua lege armẽta regãtur,
Qua curentur oues: Quanã pascentibus herba
Officiant, pastis & quæ sint flumina grata.
Quis tandem melius serpentes tollere morbos
Nouit, et insidias rapidorum arcere Luporum?
Plaudite PASTORI, mea Numina, plaudite tãto.
Testis adest vrbes inter pulcherrima cunctas
Magnanimis fæcunda viris, ac diuite gleba
VERONA. hæc illum primo sub flore iuuentæ
Inter Custodes est admirata priores
Sacra ministrantẽ, Templũq; insigne regentẽ.
Teq; vnà testẽ, CLEMENS Pater Vrbis, et Orbis,
Te Pater appello, à quo isto dignatus honore est
Hic noster, Patauiq; sacras accepit habenas.
Plaudite PASTORI, mea Numina, plaudite tãto.
Tristis hiems hucusq; satis (sic fata tulere)
Sæuijt, infestusq; satis regnauit Orion.
Floribus arua satis, uiduataq; prata fuerunt:
Nostraq; sat nitidis caruerũt flumina lymphis.
Sat spoliatus ager, spoliataq; inhorruit arbos.
Infaustis menses sat processere diebus.
Sat caput obscura texit ferrugine Titan,
Satq; superfusi tenuerunt æthera nymbi.
Plaudite PASTORI, mea Numina, plaudite tãto.

Temporis

Temporis incipiet posthac nouus vsus, & ordo.
Regnabit Chloris, tepidaq; Fauonius aura,
Cumq; aruis primos inducent prata colores.
Maiores nostro voluentur flumine Lymphæ.
Omnis ager sese, sese omnis uestiet arbos,
Incipient faustiq; simul procedere menses.
Surget ab Eois solito formosior Indis
Phœbus, & obducto uerret caua nubila Cœlo.
Plaudite, PASTORI, *mea Numina, plaudite tãto.*
Nãq; nouam rerum faciem, noua secula cerno,
Secula quæ quondam veteri sub Rege fuisse
Saturno perhibent, cum nullo saucia ferro
Sponte dabat fruges, alimentaq; cetera tellus.
Sponteq; foecundis pendebant vitibus uuæ,
Roscidaq; indomitis stillabant mella rubetis.
Felices gentes, felicia secula, uerè
Secula quæ puro meruistis nomen ab auro.
Plaudite PASTORI, *mea Numina, plaudite tãto.*
Dij Superi, Patrijq;, fuit queis tẽpore in omni
Et genus Adriacũ, & proles CORNELIA *curæ,*
Hunc precor hunc, nobis quem præfecistis, eodẽ
Consilio longum nobis seruate per æuum.
Scilicet vt cunctis perfunctus honoribus, vsq;
Ad solium supremum illud, supremaq; sceptra
Deueniat. uobis hic, toto hic charus & Orbi

Expleat

ὁ ηροτῶν

Expleat innumeros longæui Neſtoris annos.
Plaudite PASTORI,*mea Numina,plaudite tāto.*
Talia Meduacus. tunc præſens turba,relictis
Sedibus, in grandem ſeſe componere gyrum
Cæpit,& ingentes ad Cælum tollere plauſus.
Vndiq; io reſonat. vix totis ſufficit antris
Garrula imago ſonos,variasq́; remittere voces.
Vndiq; ſecuræ per mollia gramina Nymphæ
Cum Satyris varijs exercent membra choreis,
Mutuaq́; alterno pertentant gaudia luſu:
Nā dolus omnis abeſt;neq; .n. ſub Præſule tāto
Audeat hic dolus, aut ullæ conſiſtere fraudes.

FINIS. Ecl. 2.

98-10[illegible]
98-106-40

Patauij, Apud Laurētium Paſquatū.
Typographum Almæ Vniuer-
ſitatis Iuriſtarum.

Anno ab effracto Serpentis Capite.
M. D. XCV.
Superioribus Facultatem Impertientibus.

[41

~~H595 N479s V.I~~

J595 N479s V.1